

solennes adhiberi permissum sit, licet ex defectu pecuniæ sæpius omittantur, vel quod in cæmeteriò aliove locò honestò ac consuetò cadaver terræ inferatur à Vespillone, non à carnifice. *Carpz. c. l. def. 375. n. 3.* Alia denique sepulcra sunt in locò inhonestò & infami, qualem locum Romæ campum sceleratum nominatum fuisse *Servius ad l. 11. Æneid. Virg.* tradit: atque hæc sepultura dicitur canina à *Glosf. in c. placuit. 12. caussa. 23. q. 5.* Vel asinina. *Ferem. 22. v. 19.* estque: quando cadaver defuncti in locò infami, & cadaveribus brutorum destinato, in bivio vel trivio, vel sub patibulò à carnifice terrâ obtegitur. *Carpz. d. l. def. 376. n. 11.* Ad hanc sepulturam, uti & ad inhonestam, sine cognitione causæ non deveniendum, nec frustra quid de ceremoniis remittendum, sed singulæ circumstantiæ probè attendendæ: cognitio autem hæc ad Consistoria pertinet, quam tamen sibi quandoque & ministerium arrogat. *Carpz. def. 378.*

Porro alia sepulcra sunt Nobilium, alia Plebejorum. *Tiraquell. d. Nobilit. c. 20. n. 152.* Huc pertinent textus sacri 4. *Regum. 23.* ibi: & projecit supra sepulcra vulgi, & 2. *Paralip. 26.* in fin. ubi dicitur: quod apud Hebræos ager sepulcris Regum peculiariter destinatus fuerit, quod hodièque Regibus & Principibus moris est, certis in locis peculiaris sepulcra hereditaria sibi constituentibus. Sic Imperatorum Regumque Romanor. sepulcra videre licet Spiræ Nemetum in templo Cathedrali, quod sepulcrum ædificavit Conradus Salicus Imper. ibiq; sepulturam Imperatorum voluit esse perpetuam, nisi quis Imperatorum proprium sibi eligat sepulturæ locum. *vid. Lehman. Chron. Spir. lib. 5. c. 19.* Regum Gallie ad S. Dionysium sive St. Denys, duobus miliaribus à Lutetiis Parisiorum: Angliæ Londini, Polonia Cracoviæ, Danie Rothschildæ; Serenissimorum Electorum Saxonia lineæ Albertinæ, Freibergæ in Misniâ; Electorum Brandenburg. Berolini; Principum Wirtembergicorum olim Tubingæ, nunc Stutgardia, Megapolensum Severini, Pomeranorum Wolgasti,

C

gasti,